






DISSENTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE QVESTIONE, 1716, 16

AN VIDUA, CUI  
STATUTO LOCALI  
EX SUIS ET DEFUNCTI MARI-  
TI BONIS CERTA PORTIO TR-  
BUITUR, HANC POSSIT REPUDIARE  
ET ILLATA REPETERE? 30.

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO



PHILIPPO WILHELMO,  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUN-  
TINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPe,

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

PRO-RECTORE MAGNIFICO

DN. JOANNE PHILIPPO *Stritii*  
J. U. D.

REGIMINIS ELECTOR. MOGUNTINI CONSILIARIO ET FACULT. JURIDICÆ

P. T. DECANO,

D.N. PATRONO AC PROMOTORE MAXIME DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI  
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI

DIE XI. MAJI MDCCXVI. HORIS LOCOQUE CONSVENTO

SUBMITTIT

GOTTLIEB KOCH, LAUBA-LUSAT.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPEGR.



DISSEKATIO INAGURALIS JURIDICAE  
DE-OVSATIONE.

## ЗИОГЛЕВО-ЕС

THE KEEZER MAGNIFICO  
IN LOVING HONOR OF

VIRIS PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS ATQVE SPECTA-  
TISSIMIS

DN. CONSULIBUS,

## **DN. SYNDICO,**

DN. PRÆTORI,

**DN. SCABINIS,**

ATOVE

**DN. SENATORIBUS,**

PATRONIS SUIS OMNI OBSER-  
VANTIÆ CULTU ÆTERNUM  
DEVENERANDIS

# VIRI PRÆNOBILISSIMI,



Usus sui tenues hasce plagu-  
las Amplissimo Vestro Or-  
dini offerre, iisque splen-  
dore tantorum Nominum præmisso-  
rum non leve decus iri conciliatum  
existimavi. Cujus audaciæ veniam  
uti humillimè rogo, ita me illam eò fa-  
ciliùs esse impetraturum spero, quo lar-  
giùs Vestro in me affectus planè sin-  
gulares hactenus expertus sum; nec  
alia ad hoc me magis impulit ratio,  
quam insignis in me collatorum bene-  
ficiorum cumulus. Aluit me Lauba  
jucun-

jucundissima atque fovit, & ab Am-  
plissimo Vestro Ordine ad promoven-  
da studia mea Academica in opere meæ  
stipendiis imprimis subventum. Et  
ut omnia paucis comprehendam, fa-  
tendum mibi est ingenuè, me meosque  
omnia ferè Vestræ benignitati debere.  
Hinc occasione ita ferente publicum  
hoc grati animi testimonium non potui  
non edere, & spes mibi est, fore, ut in  
benigniorem partem accipiatur. Cœte-  
rum ad DEVITER OPTIMUM  
MAXIMUM ardentissimas pro in-  
columitate Vestrâ effundo preces, ut  
Amplissimum Vestrum Ordinem in  
eo felicitatis festigio, in quo nunc cer-  
nitur, diu conservet, & gravissimis  
pariter ac spectatissimis ejusdem mem-  
bris omnibus atque singulis vires lar-  
giatur, quo in solatium splendidissi-

A 3

marum

marum familiarum & commodum  
Reipublicæ Laubanensis negotiis suis  
tam privatis quam publicis per multos  
adibuc annos queant superesse, & quo  
de Vestro Patrocinio diutius lætari  
possim, cui se quam commendatissi-  
mum esse cupit

VESTRORUM PRÆNOMINIS-  
SIMORUM NOMINUM

Erford. d. 6. Maji  
Anno 1716.

humillimus atque devotissimus  
cultur

AUTHOR.



## I.

Irca successionem conjugum frequentes in foro oriuntur litetes, nec semper usquequaque liquet, an superstes coniux ex defuncti bonis tantum, an ex utriusque facultatibus in communem massam collatis certam partem consequi, an vero neglectâ successione ab intestato sua faltem sibi servare possit & debeat. Et licet multi magni nominis viri hanc materiam latius sint persecuti, non tamen res omnis perfecta est. Remanent dubia & forte etiam remanebant impostorum. Utile nihilominus & necessarium est in rem, cuius frequens usus & magna utilitas luculenter apparet, paululum sollicitius inquirere.

## II.

Jure civili conjugi in alterius conjugis bona regulariter nulla successio ab intestato competit, nisi coniux superstes inops sit, tunc ad defuncti divitis partem bonorum cum aliis legitimis hereditibus pro diversitate casuum vel ratione ususfructus tantum vel pleno

jure capiendam admittitur. *Novell. 117. cap. 5.* vel etiam liberi, agnati & cognati planè deficiant, ubi conjugibus legitimis ad excludendum fiscum successio in universam hæreditatem à Prætore data fuit. *Leg. un. pr. § 5. i. ff. Unde Vir & Uxor.* Hodiè autem vel pactis dotalibus, vel statutis vel legibus provincialibus hæc res plerumque certius definita est, nec tamen ideo quæstiones dubiæ planè cessare solent.

## III.

Hoc loco saltem de eo disquirere lubet, an viua cui statuto locali ex suis & defuncti mariti bonis certa portio tribuitur, hanc possit repudiare & illata repetere. Sæpè enim accidit, ut defuncti conjugis bona multo ære alieno sint gravata, tunc viduæ, quæ optimam intulit dotem hanc potius sibi servare quam ex statutariâ dispositione macilenta capere portionem mavult, an igitur intentio illius in jure & ratione fundata fit, jam juxta ingenii modulam examinabimus. Mihi sententia negativa verior visa fuit. Ut autem tractationi huic suus ordo quodammodo constet, adducemus primò rationes dissentientium, deinceps nostram sententiam tuebimur & simul argumenta contraria refutabimus subjunctis denique quibusdam quæstionibus huc pertinentibus.

## IV.

Non opus videtur circa explicationem vocationis nostræ theses diu hærere, quia per se satis claræ sunt & ex subsequenti tractatione adhuc magis patebunt.

Id

Id monendum est, portionem statutariam pro diversitate statutorum esse variam: modo enim dimidiam modo tertiam, modo etiam quartam vel adhuc aliam partem continet. Statuto Laubanensi viduæ tercia pars ex suis & defuncti mariti bonis assignatur, Verba hoc pertinentia hæc sunt: Erlebet aber ein Weib ihres Herrn oder Mannes Tod / soll sie auch in allen seinen und ihren ungetheilten Güthern / sie sind fahrend oder liegend / mehr nicht haben / als den dritten Theil / die andern 2. Theile soll sie ihres Mannes Erben / als nemlich seinen Kindern oder Kindeskindern ic. geben. Nec dubium est, ejusmodi statuta certam quotam superstiti conjugi tribuentia esse licita & valida.

## V.

Nunc ad rem ipsam accedimus, ubi primo in medium afferemus rationes, quibus nostra sententia sollet oppugnari. Certum est, uxoribus jus competisse & adhuc hodiè regulariter competere, dotem aliaque illata soluto matrimonio repetendi, *l. 30. C. de jure dot. 49. §. 3. ff. cod.* magnâque solicitudine Romanos curasse, ut uxores dotes suas haberent salvas, uti ex verbosâ illa lege *un. C. de rei uxor. actione* satis appareat. Imò dos ipso jure ad iniurierem redire dicitur. Cum itaque uxoribus hoc jus notabile statuto expressè ad emptum non sit, adhuc durare censendum est, & cur stare prohibetur quod mutatum non est. Accedit statuta municipalia strictissimæ esse interpretationis, nec facile ultra casus expressos extendenda, adeò ut

B

verba

verba eorum etiam contra propriam significationem ita sint accipienda, ne juri communi derogent.

## VI.

Porro dici potest, si vidua etiam ex suis bonis cum defuncti mariti hæreditate in unam massam collatis portionem statutariam capere debet, evenire, ut sibi ipsi succedat, cum tamen nulla viventis sit hæreditas. *l. 1. ff. de hered. & aet. vend.* & non sine insigni absurditatis notâ sui ipsius hæres existat. Tandem provocant ad favorem dotis, qui magnus est. *l. 2. ff. de jure dot.* & *l. 1. ff. soluto matrim.* & semper in ambiguis pro dotibus respondendum. *l. 70. ff. de jure dot.* imo tantus ut Romani multa singularia circa eam fanciverint & pœcta dotalia, quæ dotis causam deteriorem reddunt, invalida pronunciaverint. *l. 14. & 17. ff. de Paet. dot.* Statuta autem localia pœctis comparantur.

## VII.

Quibus argumentis licet non leve pondus inesse videatur, tamen à contrariâ sententiâ amplectendâ me non dimovent, sequentibus suffultum rationibus. Quemadmodum enim vidua per dispositionem statuti consequitur jus ex bonis cum defuncto marito communibus certam partem petendi, quod cæteri cohæredes nulla ratione ipsi diminuere possunt: Ita etiam his idem jus largiendum, adeo ut in arbitrio viduæ haud sit positum repudiata portione statutarâ illata, quæ illam forte superant, petere, eoque ipso cohæredibus reluctantibus jus quæsitum afferre & damnum inferre. Nec obstat, liberos defuncti spem saltem habuisse

buisse hanc vel illam portionem statutariam consequendi, si nimirum vidua voluerit ex statuto succedere. Hoc enim gratis asseritur. Si enim viduæ jus validum & efficax competit, illud etiam liberis asserendum nec ex arbitrio viduæ suspendendum.

## IX.

Accedit quod si aliter sentiremus, successio statutaria semper foret elusoria. Nam si viduæ largiremur, ut vel portionem statuto designatam vel illata, si hoc consultiū ipsi visum fuerit ex communibus bonis possit repetere; non appareat cur eadem electio uxore, quæ parum aut nihil intulit, defunctâ, marito debet denegari. Iisdem enim argumentis eorundem jura hâc in parte oppungnatur & defenduntur. Cum itaque vidua animadvertis portionem statutariam illatis esse pinguiorem hanc vellet consequi, defuncti hæredes reliqui facilè illud impedire possent dicens: nolumus ex statuto succedere, sed bona patris nostri repetere, quo facto vidua ex bonis defuncti mariti nihil lucraretur, sed saltem sua servaret: hinc illa pars, quæ portionem statutariam vult consequi, ab alterâ parte, cui hoc noceret, semper possit impediri, & si non impediretur, divisio ista bonorum non tam ex statuto quam voluntate partium dependeret.

## IX.

Porro statuta pactis comparantur, imò adhuc major eorum efficacia censetur, *Dn. Berg. Part. I. Resp. 277.* cum itaque hodiè pacta conjugum successio

soria indistinctè valida sint *Carpz. Part. II. Conf. 4<sup>a</sup>*  
*Dif. 2. n. 6.* nec pro libitu alterutrius possint mutari,  
 sed quilibet parte suâ assignatâ debeat esse contentus,  
 validum inde argumentum ducitur, divisionem bo-  
 norum statuto factam voluntate alterutrius non pos-  
 se rescindi. Durum foret, si ejusmodi statuta suc-  
 cessoria maritum quidem eisusque hæredes astringe-  
 rent, uxor autem à vinculo isto pro libitu & ex ra-  
 tionibus propriæ utilitatis se posset explicare.

## X.

Ex mente denique statuta contentium vel tacito consensu introducentium sententia nostra non improbabiliter defenditur. Hodiè enim plerumque plus juris conjugi in alterius conjugis bona competit, quam jure Romano, nec divorcia sunt tam frequenter quam apud Romanos, sed conjux conjugi perpetuo debet cohabitare, fortunamque alterius vel secundam vel adversam sequi, rem familiarem laboribus suis & curis conservare vel augere: hinc æquum visum fuit soluto vinculo conjugali bona communiter quodammodo hactenus possessa & administrata, ita dividere, ut neuter iisdem planè carere & cum morte conjugis amissionem quoque omnium fere bonorum lugere debeat, quam divisionem uxoris electione turbare fas non esset. Imò mulier dum nubit viro & concedit in locum, ubi taliusmodi statuta vigent, iisdem volens se subjicit, & postea eveniente casu voluntatem suam in alterius præjudicium mutare non potest. Hinc etiam Scabini Lipsienses marito sua  
 repe-

repetitudo ad requisitionem civis cuiusdam Laubanensis intentionem ejus reprobarunt Mense Octobr. Annô 1676. licet antea in alio sed pari casu Facultas Juridica Lipsiensis aliter senserit Mense Jun. 1658. Jure Saxonicō Electorali viduæ repetitio illatorum expressè adempta est. *Carpz. Part. 3. Conf. 20. Def. 13.* licet illi ex hæreditate mariti tantum certa portio tribuatur.

**XI.**

Tunc autem adhuc majus robur accedit assertio-  
ni nostræ, si in statuto certi casus, ubi uxor illato-  
rum repetitionem habere debeat, reperiantur exce-  
pti, quod factum statutis nostris Laubanensibus ubi  
ita dispositum: Würde sichs aber begeben/ daß ihr  
verstorbener Mann viel Schulden hinter sich verliesse/  
soll ihr alsdenn bevor und frey stehen/ ob sie diesel-  
ben Schulden / zu Rettung ihres Mannes Glimppf/  
will zahlen helfen oder zu ihren beweislichen Guthen  
greissen. Porro: Wie auch ingleichen das Weib/ so  
ihr Ehe-Mann/ der noch am Leben/ in Schulden  
gerath/ und nicht gänzlich zu zahlen hat/ sich ihres  
eingebrachten Guths zufreien und halten mag. Ex-  
ceptio enim confirmat regulam in casibus non exce-  
ptis, nec facile ali casus admittendi, sed pro exclusis  
habendi sunt.

**XII.**

Postquam igitur nostram opinionem proposui-  
mus & argumentis corroboravimus nunc rationibus  
pro contrariâ sententiâ supra adductis pondus detra-  
hendum est. Ubi quidem ad argumentum primum,

B 3

quod

quod expressam requirit prohibitionem, responde-  
mus negando expressam claris verbis factam prohi-  
bitionem esse necessariam. Nam si statutum ex vi-  
duæ & defuncti mariti bonis certainam quotam illi, re-  
liquam hæritatem vero hujus hæredibus tribuit, his  
invitis portio hæc per indirectum imminui nequit,  
& uxor necessariò à repetitione illatorum excluditur.  
Nec est, quod dicamus, statuta esse strictissimæ in-  
terpretationis, adeò ut verba eorum contra propri-  
am significationem ita sint accipienda ne juri com-  
muni derogent. Quid enim inde fiet. Hac ratione  
statutorum exiguis imo nullus foret usus. Nam in  
dubio secundum jus commune interpretari illa de-  
bemus, & si verba sunt perspicua etiam contra pro-  
priam significationem interpretatio molienda est.  
Sed hoc non est interpretari, sed datâ operâ sensum  
eorum evertere. Statuta justæ interpretationis æque  
sunt capacia atque alia pacta & negotia, imo primâ  
videndum an casus evenientes ex statutis & speciali-  
bus sanctionibus possint decidi, & his demum des-  
cientibus ad jus commune recurrentum.

## XIII.

Quod porrò dicunt mulierem fieri hæredem sui  
ipsius, itidem negandum est. Valde enim incertum  
est, an uxor aliquando sumptâ portione statutariâ  
aliquid sit lucratura aut perditura. Et licet quando-  
que ex illatis revera aliiquid perdat, pro damno vo-  
luntario illud habendum est. Poterat enim mulier,  
metuens hunc casum in tempore pactis dotalibus re-  
bus

bus suis prospicere , quo neglecto sibi imputet , quicquid in ejus detrimentum accidat . Aliud etiam est hæredem sui ipsius esse , aliud ex bonis in communem hæreditatis massam collatis aliquid perdere , alias omnes leges collationem requirentes absurditatis insimulari possent , & tota collationis materia evanesceret . *Vid. Carpz. Part. 3. Conf. 10. def. 8.* Nec favor dotis , qui allegari solet , tantus esse debet , ut juribus tertio quæfatis præjudicium inferat . Dos inventa est à Romanis , ut viri eò faciliùs allicerentur ad ineunda matrimonia & ad perferenda matrimonii onera . Durum autem foret , si mortuo marito , qui multa incommoda hæc tenus sustinuit , vidua omnia sua bona servare & mariti hæredes inopes relinqueret posset . Deinde in statuto non de dotibus sed de omnibus uxoris bonis marito illatis disponitur , quæ pari favore non gaudent , & favor ille ex lege positivâ est oriundus , hinc sanctione speciali contrariâ facile tolli potuit .

## XIV.

Postquam igitur sententiam nostram argumentis corroboravimus , & dubijs illi obversantibus , ut putamus , satisfecimus , tertio quæstiones quasdam huic negotio non alienas tractabimus . Quæritur itaque an , stante ejusmodi statuto , uxor , labentibus rebus mariti adhuc vivi , illata sua possit repetere , an vero pro marito simul solvere cogatur ? Prius merito asseritur . Licet enim maritus spem habeat , certam partem ex bonis uxoris , si illa decesserit , aliquando conse-

consequendi ; longè tamen aliud est, spem, aliud, rem ipsam habere, nec creditores ex aliis , quam debitoris facultatibus propriis non autem alienis solutionem urgere possunt, nec uxori citra necessitatem tam grave onus debet imponi, & cum hic casus statuto definitus non sit, ex jure communi , quod illi illatorum repetitionem concedit , decisio petenda est. Quæres dubio caret, si expressè casus ille exceptus fuerit, quod factum statuto nostro Laubanensi, ut supra ex §. X. videre licet. Si autem uxor pendente concursu ante maritum decebat , pars hæreditatis ei debita cedit creditoribus, nec potest in eorum præjudicium hæreditati renunciare debitor, juxta recentiorem Collegiorum Saxoniorum opinionem, uti ex Rivini Enunciatis & Wernheri Observationibus apparet , licet meminemus Facultatem Juridicam Lipsiensem haud ita pridem ad requisitionem Judicii Laubanensis in concursu M. B. ejusmodi hæreditatis renunciationem admisisse & dispositionem juris civilis l. 6. §. 2. f. *Quæ in fraud, credit, inhæsisse.*

## XV.

Major subest difficultas eo casu , quando maritus multo ære alieno gravatus moriatur. Iniquum enim videtur , si vidua pro marito solvere & sæpè eximiâ parte bonorum suorum exui debeat. *Carpzov. Part. III. Conf. 20. Def. 11.* Sed nihilominus ita dicendum putamus. Maritus enim firmum & validum jus habuit in certam partem bonorum uxori competentium, quod à creditoribus concursum moventibus occupatur , & vidua

vidua de se queri debet , quod pactis dotalibus sibi non perspexerit . Sed hic casus forsitan rarius erit , cum plerumque statuta viduisjus illata recipiendi largiantur , quod etiam Statuto nostro Laubanensi illi expressè reservatum est . Alia adhuc oritur quæstio , an nimirum maritus inops , qui divitem uxorem habet in matrimonio , possit e . gr . duas partes , quæ vi statorum ipsi ex suis & suæ conjugis bonis debentur , testamento cuicunque voluerit relinquere ? Quæ quæstio , si præcedente admittas , sine dubio affirmanda est . Si autem vidua statuto jus datum fuerit , illata sua servandi , si concursus creditorum ad defuncti mariti bona excitetur , tunc etiam in præjudicium viduæ testamentum confici non potest . Nam si defunctus testamento plus legaret , quam in bonis suis haberet , concursus cum superstite conjugie moveretur . Et si aliter sentiremus maritus obæratus spem uxoris suæ facilè frustrare posset : Nam si vide-ret bona sua ad extingvenda debita haud sufficere , tunc condito testamento , quo creditoribus suis tantum legaret , quantum debuit , illatorum repetitionem impeditet & viduam jure suo privaret .

## XVI.

Indagandum nunc etiam est , quænam bona vel viduus vel vidua in casum successionis conferre debeant ? Uxor bona esse triplicis generis & in dotalia , paraphernalia & receptitia distingvi , in vulgus notum est , nec eorum explicatio huc pertinet . An verò omnia indistinctè bona cuiuscunque sint gene-

C

ris ,

ris, an saltem quædam hæreditati inferre debeat con-  
jux superstes, non immerito quæritur. Sed ante o-  
mnia verba statuti diligenter sunt inspicienda, siquidem ex illis hujus rei decisio pendet. Si enim saltem  
illatorum collationem postulant, bona receptitia sub  
iis non comprehenduntur: è contrario si omnia bona  
debent conferri, quod itidem Statuto nostro Lauba-  
nensi, ut ex loco supra §. IV. citato appetat, disponi-  
tur, nihil videtur exceptum. Nec etiam dubium mo-  
vet vox ibi posita: In allen seinen und ihren Unge-  
theilten Güthern ic. quasi illa bona uxoris tantum in-  
digitarentur, quæ in mariti domum illata communem  
quandam & indivisam massam cum ejusdem facul-  
tatibus constituunt; bona verò receptitia, quorum do-  
minium, usumfructum & administrationem utor  
expresè sibi reservavit, adeoque à reliquis separavit,  
non comprehendenderentur. Verum vox illa non di-  
stingvit inter bona uxoris, nec eorum diversam na-  
turam innuit, sed saltem conferendi & computandi  
modum denotat. Ea verò, quæ uxori sub conditio-  
ne suspensivâ debentur, conditione post mortem ma-  
riti demum existente conferenda non esse, ultrò pa-  
tet.

## XVII.

Mariti, quorum bona unius saltem generis sunt, omnia  
conferunt, sive sint mobilia, sive immobilia. Si autem quæ-  
dam bona alibi sita possideat, vis statutorum in loco domicili-  
i valentium immobilia illa non afficit, sed subsunt legibus  
in loco rei sitæ usitatis; mobilia autem ad locum domicili re-  
vocantur, iisdemque legibus reguntur,

XVIII.

## XIX.

Sæpè autem conjux superfites in fraudem hæredum defuncti patrimonium suum solet occultare, nec omnia, bonâ fide indicare, quo oneri collationis minimum ex parte se subtrahat. Sed hisce fraudibus legitimi inventarii aut juratae specificationis exactio occurrit: aliás enim vera conferentis bonorum substantia vix posset detegi. *Carpz. Part. III.*, *Capit. 20. dif. 9.* Verum hoc saltem locum habet, si cum viduā, vel vitrico vel extraneis hæredibus divisio hæreditatis intenditur; si autem pater, uxore defunctā, cum liberis hæreditatem dividere velit, aut debeat, tunc à necessitate dandi solennis inventarii aut juratae specificationis vi patriæ potestatis est immunis. *arg. leg. 6. §. 2. Cod. de bon. que lib.* neque in eum cadit fraudis suspicio. Interim tamen ad edendam bonorum suorum confignationem potest urgeri; aliás enim in arbitrio ejus ferè esset, an liberis quicquam ex maternâ hæreditate dare vellet nec ne; sicut etiam eos audiendos esse credimus, si probare velint, in istâ patris confignatione quædam bona fuisse omissa.

## XIX.

Porro quæri potest, an vidua, quæ portionem statuta riam à defuncti mariti hæredibus consequi debet, teneatur oblatis nummis esse contenta, an vero ex ipsa hæreditatis communis substantiâ quotam suam poscere queat? Posterior ideo afferendum, quia ei ex omnibus, adeoque non tantum ex quibusdam, suis & defuncti bonis, quod vocabulum itidem generalem significatum habet, & tñn mobilia quām immobilia continet, certa pars præstari debet, nec co-hæredibus prærogativa competit, quasdam res, sive sint mobiles sive immobiles, sibi afferendi & viduæ invitæ paratae obtrudendi pecuniam, sed illa secundum communes æquitatis regulas erunt dividenda. Si autem res quædam vel planè non vel difficulter divisionem recipient, voluntate partium vel sententiâ judicis uni relinqui & adjudicari possunt, *leg. ss. ff. famil. ercite.*

## XX.

## XX.

Tandem etiam quæstionis est, an vidua, quæ portio-  
nem statutariam accepit, propter debitum a marito contra-  
Etum possit conveniri; quod primo intuitu negandum vide-  
tur hâc ratione, quod succedat jure singulari, ideoque præ  
hærede haberi non possit, & hæredibus conventis regressus  
adversus viduam dandus foret, ut id, quod pro eâ solverint,  
pro ratâ possint repetere. Verùm nihil interesse existima-  
mus, sive quis jure statutario sive communi declaretur hæ-  
res & ab intestatô ad successionem vocetur: hinc etiam tan-  
quam hæres, qui in omnia defuncti jura succedit, omnibus  
etiam ejus creditoribus respondere tenetur, sicut &, ut ad  
exigenda debita activa concurrat, necesse est. Et si viduam  
illud, quod ceteri cohæredes creditoribus hæreditariis pro  
eâ solverunt, restituere oporteat, non appareat, quem in  
finem tot ambagibus opus sit, ut primo contrâ defuncti  
hæredes, & ab his deñum contrâ viduam lis sit instituenda.  
Si enim tertio cuidam, qui pro me solvit, ad redditionem  
teneor, multò magis creditori, cui solutio præstatur, ero ob-  
sticlus.

## XXI.

Hæc igitur fuere, quæ occasione thematis nostri bre-  
viter differere, volui. Utut autem hanc rem pro digni-  
tate materiæ fortè haud fuerim executus; non tamen  
omnis labor irritus & inanis  
erit.

S. D. G.



**ULB Halle**  
001 972 26X

3



S. 6.







DISSESSATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE QVESTIONE, 1716, 16

**AN VIDUA, CUI  
STATUTO LOCALI  
EX SUIS ET DEFUNCTI MARI-  
TI BONIS CERTA PORTIO TR-  
BUITUR, HANC POSSIT REPUDIARE  
ET ILLATA REPETERE?**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,**

SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUN-  
TINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCipe,  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ CONSENSU  
PRAESIDE

PRO-RECTOR MAGNIFICO  
**DN. JOANNE PHILIPPO** *Streit/*  
J. U. D.

REGIMINIS ELECTOR. MOGUNTINI CONSILIARIO ET FACULT. JURIDICÆ  
P. T. DECANO,

DN. PATRONO AC PROMOTORE MAXIME DEVENERANDO

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI  
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI

DIE XI. MAJI MDCCXVI. HORIS LOCOQVE CONSVENTO

SUBMITTIT

**GOTTLIEB KOCH, LAUBA - LUSAT.**

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.